Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 539
Quelle:
Copyright:

ſae Sacerd. *Bohemi* continet *Concordantias ſacrorum Bibliorum* praemiſſo brevi de earum integritate Monito. Ad calcem legitur: *Expliciunt concordancie excerpte de maioribus concordancijs* (id, quod negat Monitum) *Anno domini M°. CCCCXXXIIII. in die Agapiti*, additurque bohemice: *Anno et ceciderunt Heroes Taboritarum hora una de viginti*, id eſt, ſexta ante occaſum ſolis ad Horologium olim in *Bohemia* uſitatum. Cladem hanc *Taboritarum* 30. *Maji* h. a. qua uterque *Procopius* cecidit, narrat ex Hiſtoricis *Bob.* Cl. *Pelzelius* in *Hiſt. Bob.* germanice edita *Pragae* 1774. p. 290. 8. Aliud ad res Temporis notatur folio *Codici* praetexto, quod latine verſum: *Anno 1530 Circa Sancti Wenceslai complures de Hungaria collecti homines irruptionem fecerunt in Moraviam et incendio perdiderunt Hunnobrodam* (Ungariſch Brod) *aliosque vicos, et haud paucos homines captivos duxerunt atque etiam occiderunt. Qua de re Deus vindictam ſumat!* Item ad *Codicis* finem:

Kuoñ gednu hrzibietem
Czlowiek dwakrate dytétem.

Quaſi dicas: *Equus ſemel hinnulus, Homo bis infans.*

CLXXXIV.

803 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 271. 8. currente calamo non una manu perſcriptus et rubricis diſtinctus, quondam ad numeroſam *Wenc. Roſſii* ſaepe memorati Supellectilem librariam pertinuit, cum eaque in Arcem *Ambraſianam* translatus fuit. Exhibet vero: I. *Concordantias Super nouum teſtamentum.*

II. *fol.* 30. Verſus mnemonicos in N. T. hujusmodi:

Natus. adoratur. lotus. temptat. docet. orat.
Dogma. Salusque. vocat. eligit. laudat. ſata tranſit &c.

Singulis Vocibus hiſce, ſed non per totum, addita eſt brevis Expoſitio.

III. *fol.* 35. *Metra* ſuper IV. *Evangeliſtas* et *Actus Apoſt.* adjectis ad oram *Capitum* numeris. Ita orditur *Matthaeus:*

Abraham. ſponſata. nollet. laus. ducere. docet.
Bethleem. egiptum. rachel. archelaus. naſarenus. &c.

IV.